

tem proxime accedit; ita mirum Huic Inlustrissimæ Stirpi ornamentum conciliat. Ut adeo parum apud nos fidei mereantur incertorum auctorum, ad Romanorum Imperatorum, sive Julii, sive Severi clientes respicientium, documenta. Quorum duo nobis exhibet supra memoratus Johannes Orlerius *Gen. Nass.* pag. 9. 10. 11. quæ paucis examinare juvabit.

## XX.

Primum est, quod lingua Germanica anno seculi sexti decimi XXV. in honorem *Henrici* Comitis **NASSAVIÆ**, *Renati Cabillonensis* Patris, divulgatum est, in quo traditur: Duos fratres, Lebatii Comites, cum Julio Cæsare Roma in Germaniam venisse, quos virtutis suæ meritorumque ergo adeo evexerit, ut primum Burgundiæ comitem fecerit; alterum præfectum primo hereditarium tractus, qui ad Confluentes, deinde dominum totius agri, qui ad Lonam flumen adjacet, & postea Comitatus Nassaviæ adpellatus. Adeo autem omnia in hoc scripto incerta, ut a nemine, nisi in historia omni Romana hospite fidem ad sensumque impetrare posse videantur. Interferuntur quippe ejusmodi res, quæ cum probatissimorum auctorum Suetonii, Flori, Zonaræ, aliorum, ipsius quoque Julii, adcurati elegantisque scriptoris, narratione aperte pugnant. Velut ubi & inter cetera *Comitum* origines dignitatesque a dicti Cæsaris tempestate contra omnium historicorum fidem arcessit:  $\beta$  *Insigni-* mentionem facit, qualia hodiernum obtinent; quo-